



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs IX. De renuntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

mnia; nec quando privatim tantum celebrat; etiam si dies sint solemnes &c. Quibus autem diebus uti Pallio possit inter Missarum solemniam, intra Ecclesiam celebrans *Gloss.* enumerat in *c. cit. ad honorem V. eod.* Alia tamen plura concedere potest etiam Pontifex, à cuius dispositione, aut obtento privilegio, usus Pallii dependet.

§. III.

De Auctoritate Pallii, siue que potestas per illud conferatur, & an ad alios transferri possit?

Conferitur cum Pallio plenitudo Archiepiscopalis officii Archiepiscopo, ut possit post acceptum Pallium omnes actus Archiepiscopalis dignitatis, tam ordinis quàm jurisdictionis exercere in sua Provincia, & quamvis ad substantiam collationis ordinum v. g. aut aliarum Episcopaliū functionum, Pallium non requi-

ratur, ita ut rogatus ab alio Episcopo alterius Provincie ad Ordines v. g. conferendos, conferre quidem ordines possit, Pallio tamen extra suam Provinciam uti non possit sine speciali privilegio, licet tamen in sua Provincia talia non faciet, quæ inter Missarum solemniam fieri debent sine Pallio. Transferre tamen acceptum pro hac Provincia v. g. Pallium non potest, si ad alium Archiepiscopatum à Pontifice transferatur, sed novum pro novo Episcopatu petere debet, & illud quidem, olim secum sepeliendum conservare, uti tamen eo in novo Archiepiscopatu non potest, nec potest alii Archiepiscopo commodare illud, nec ad suum successorem moriens illud transmittere, cum sit Personale quid, certæ personæ concessum, cum restrictione ad locum, ut ad eò, prout respondet Pontifex in *c. ad hoc 2. h. t.* Personam non egrediatur, sed cum ea sepeliri debeat. Attendenda tamen etiam in his loci consuetudo.

T I T V L V S I X.
DE RENUNTIATIONE.

SECTIO I.

De renuntiatione in genere, ejusque divisione.

Renuntiatio, prout hic de ea loquimur, aliud non est, quàm remissio, seu resignatio, seu cessio juris, quod quis habet in beneficio Ecclesiastico; duplex autem est hæc renuntiatio, tacita alia, alia expressa.

§. I.

De tacita beneficiorum renuntiatione.

Renunciatio tacita est, quæ ipso jure fieri censetur, absque ullis verbis expressis, & juxta juris interpretationem, ex actu directè contrario retentioni beneficii per consequentiam colligitur; prout fieri solet, si beneficiatus matrimonium contrahat, *c. 1. & 3. de Cleri. conjug.* si solemniter profiteatur religionem *c. 4.*

M 3

de

de regula. in 6. *Et*. Videatur autem hæc tacita renuntiatio in eo differre, à privatione beneficii, ipso jure facta, quòd, si protestetur beneficiatus, se per talem actum nolle renuntiare beneficio, protestatio talis id operetur, ut talis actus vim tacitæ renuntiationis non habeat, in privatione verò, quæ ipso facto incurritur, protestatio talis nihil prodest: hæc tamen tacita renuntiatio non est facillè præsumenda, si SS. Canones non inducant beneficii talis resignationem; quòd enim multis forsasè expensis, & laboribus acquisitum est, tam facillè renunciari non censetur. *c. super eo 5. h. t.* Videatur *c. sane 7. c. veniens 13. Et c. lecta 14. h. t.* ubi referuntur casus aliqui apparentis quidem renuntiationis, quæ tamen à jure pro vera non agnoscitur.

§ II.

De expressa renuntiatione beneficiorum.

Renuntiatio expressa ea dicitur, quæ fit verbis ad hoc accommodatis, & voluntatem renuntiandi aperte declarantibus, vel etiam scripto juxta formam à jure præscriptam. Duplex ea est, pura una & simplex, seu absoluta, quæ fit sine ulla conditione, modo, & pacto; & altera conditionalis, qualis est 1. quæ fit in favorem tertii, sub ea scilicet conditione, ut conferatur illud certæ personæ, in cuius favorem aliquis resignat. 2. quæ fit cum reservatione fructuum ex toto vel ex parte. 3. quæ fit cum regressu (reservato scilicet sibi jure, ut resignans possit ad beneficium redire, si ille, cui cessit beneficium, præmoriatur) vel cum ingressu, quando scilicet collati quidem beneficii, ante hujus tamen possessionem, fit resignatio, sub ea conditio-

ne, ut mortuo resignatorio possit resignans propriâ auctoritate ingredi sive possessionem hujus beneficii accipere; vel cum accessu, quando scilicet beneficium puero destinatum, ob ætatem tamen illius incapaci, alteri interea confertur, eâ tamen conditione, ut post legitimam ætatem pueri, possit hic propriâ auctoritate beneficium tale accedere, & recuperare. Et 4. Denique conditionalis designatio beneficii dicitur, quæ fit ex causa permutationis, quando scilicet beneficium, quod habet, dimittit aliquis, ut alterius beneficium sibi conferatur.

SECTIO. II.

De beneficiis, quæ resignari possunt, vel non possunt.

§. I.

Quæ beneficia resignari possunt?

Omnia beneficia Ecclesiastica, sive sint curata, sive simplicia, sive sint majora beneficia, & dignitates, sive minora, sive requirant residentiam, sive non requirant, etiam manualia, patrimonialia, beneficia, quæ optari possunt, beneficia affecta jure Patronatus, beneficia electiva, exempta, reservata sedi Apostolicæ, & cujuscuque demum generis ac qualitatis sint, resignari possunt (nisi specialiter jure aliquo scripto hoc prohibeatur) modò ea observentur, quæ beneficia talia exigunt, ut ne fiat aliquid contra fundatorum voluntatem, vel cum præjudicio aliquo.

§. II.

Quæ beneficia resignari non possunt?

Expresso

Expresso tamen jure prohibetur primò Resignatio beneficii litigiosi, de quo scilicet alicui mota fuit, pendente lite; sicut enim alienatio rei litigiosæ, dum lis pendet, fieri non potest, ut constat ex toto tit. FF. & C. de litigiosis, ita nec resignatio beneficii litigiosi fieri potest, lite pendente, ad cavendas præsertim omnes fraudes, quæ in tali licita resignatione faciliè fieri possent. Si tamen in gratiam colligantis beneficio alter cedat, valida est talis cessio, cum fiat ad extinguendam litem.

2. Prohibetur resignatio beneficii uniti, antequam unio fortiatum suum effectum, prout patet ex Trident. sess. 23. c. 18. de reform. quia per unionem talem jus acquisitum est illi collegio v. g. dignitati, aut Monasterio &c. cui unio facta fuit, ut per mortem beneficiati unitum beneficium transferatur in Monasterium, Collegium &c. cui plurimum præjudicaret permissa talis beneficii resignatio, nisi fieret illa parè & liberè, vel in favorem illius, cui unio hæc facta est, vel per sufficientem clausulam derogaretur, quo ad illam vicem à Summo Pontifice, tali factæ unioni.

3. Prohibentur resignari beneficia in commendam temporalem data, ob utilitatem Ecclesiæ, donec ei de rectore provisum sit, cum talis nullum jus, aut titulum in beneficio habeat, cui renuntiare possit; & quamvis administracionem habeat, & fructus percipere possit, quæ simpliciter, & parè in manibus ordinarii dimittere potest; propriè tamen hæc dimissio non dicitur resignatio, sed depositio tantùm administracionis.

4. Denique prohibentur, resignari

penfiones Ecclesiasticæ, quæ apud aliquos beneficii nomine veniunt, nisi parè & liberè ex resignentur, vel in favorem illius, à quo solvenda est pensio, si enim pensionarius hanc pensiohem non exigat, censetur tacitè ei renunciare.

SECTIO III.

De iis, qui possunt renunciare beneficiis, & iis, quibus possunt illa resignari.

S. I.

Qui possint beneficiis resignare?

Ordinariè omnes beneficiati, sive in minoribus beneficiis constituti sint, sive in maioribus, si annos pubertatis excesserunt, ex justa causa, beneficia sua, si ea habeant, & hæc resignabilia sint, resignare possunt, cum ut sic proprio tantùm juri renuntient, quod quilibet facere potest, qui jus quæsitum in tali re habet, & bono publico, aut nulli alii per talem renuntiationem præjudicat: & quamvis dubitent aliqui, an Summus Pontifex Papatui renuntiare possit, post constitutionem tamen Bonifacii 8. in c. 1. h. 1. in 6. dubitationi huic locus non est, cum expressè in illa constitutione deciderit Pontifex, quòd fieri hoc ex justa causa possit, ita ut nec Cardinalium ad hoc consensum habere debeat, nec ullius alterius approbationem, cum neminem superiorem in terris habeat, qui talem resignationem admittere, & approbare debeat. Neque tamen etiam omnium resignationes eadem facilitate admittuntur, facilius enim admittitur resignatio simplicium beneficiorum, etiam Canonica-

nonicatum, quàm resignatio Ecclesiarum Parochialium, quæ secundum stylum curiæ Romanæ, ordinariè non recipiuntur, nisi tribus saltem annis Ecclesiam illam Parochus resignans possederit: difficilius adhuc admittuntur Prælatorum, & similibus dignitatum renuntiationes, quæ non nisi ex causis gravibus admittuntur.

Adeo tamen, qui post obtentam Parochiam Sacerdos intra annum ordinari debebat juxta *c. licet 14. de electione in 6.* utrum ante elapsum annum ultimo v. g. anni illius die, quamvis nondum Sacerdos sit, & altero mox die privationem beneficii ipso facto incursum sit, beneficio huic suo renuntiare possit, etiam in favorem tertii dubitatur, uti & de quovis criminoso, qui per sententiam judicis suo beneficio privandus est, antequam beneficio suo sit privatus; cui dubio respondetur, posse tam illum, ante lapsum annum, quàm hunc ante sententiam judicis, beneficio suo renuntiare, etiam in favorem tertii modò in posteriore casu fiat mentio criminis, & motæ contra se accusationis, aut inquisitionis, si tamen crimen resignantem non reddat indignum beneficio, ut ne sit dolosa talis renuntiatio: & quamvis etiam illi beneficiati, qui in religione profiteri volunt, de jure antiquo beneficia sua resignare possint, durante noviciatus anno, in favorem etiam alterius *argu. c. beneficium 4. de regula in 6. juncta Gloss. V. assensus*; de jure novo tamen Tridentini, non potest talis renuntiatio fieri, nisi intra duos menses proximos ante professionem, pluribus aliis etiam adhibitis, de quibus alibi,

§. II.

An, & quomodo Clerici infirmi possint beneficia resignare?

Quòd Clerici etiam in gravi infirmitate constituti, resignare beneficia sua possint, in favorem etiam alterius, certa & communis sententia est, cum enim alii actus legitimi à jure illis permittantur, nulla est ratio, quare hoc negetur in materia beneficiorum resignandorum. Ne tamen videantur hi tales de beneficiis suis disponere per viam successionis hæreditariæ, & ad multas fraudes cavendas, vult *reg. 18. Cancellaria Apostolica ab Innocentio. 8. ex c. 2. h. t. in 6. de sumpta*, validam non fore resignationem talè, sive simpliciter, sive in favorem alterius facta sit, nisi post resignationem factam, 20. adhuc dies (à die per ipsum resignantem præstandi consensu computandos) supervixerit resignans infirmus: quæ regula, sicuti locum habet in omnibus beneficiis, ac dignitatibus, etiam Patronatus, tam in, quàm extra Curiam Romanam, etiam cum reservatione pensionis, aut fructuum, vel ex causa permutationis factis, ita locum etiam habet in eo casu, quo quis sanus quidem resignavit, ex aliquo tamen superveniente accidente ante 20. dies post factam resignationem, non quidem civili tantùm morte, sed naturali moriatur; & requiritur insuper ad verificandam hanc regulam, ut actu hic talis resignaverit per se, vel per procuratorem, coram eo superiore, qui legitimus est, ad talem resignationem acceptandam, & resignatio ab hoc fuerit admissa: & hinc sufficit, signatam tantùm à resignante fuisse resignationem, aut pro-

promissam, aut constitutum ad resignandum Procuratorem, vel Romam quidem missam, aut ad superiorem legitimum, resignationem, nondum tamen ab hoc admissam &c. his enim in casibus non vacaret beneficium per resignationem, quamvis ultra 20. dies à tempore talis constitutionis, transmissionis, signationis &c. factæ hic supervixisset, sed vacaret vi hujus regulæ per mortem beneficiarii, si à die præstiti consensus, coram legitimo superiore, ultra viginti dies non supervixisset.

§. III.

Qui resignare beneficia non possint, & quibus possint resignari:

1. **R**esignare sua beneficia non possunt criminiosi, qui ipso jure, beneficiis suis privati sunt, aut intrusi, & omnes illi, qui nullum titulum Canonicum habent, cum enim nullum jus in beneficio, sed sola fortassis possessio illis competat, consequenter nullum etiam jus per resignationem cedere, vel in alterum transferre possunt. 2. Resignare non possunt prius beneficium, qui ad secundum cum primo incompatible promoti sunt, quia per legitimam adeptionem secundi, primum ipso jure vacat, juxta *c. de multa 28. de præbend. & Trident. sess. 7. c. 4. de reform.* 3. Resignare non possunt sua beneficia, nec ex causa permutationis, mente capti, & furiosi Clerici, cum enim careant iudicio rationis, consequenter non minus inepti sunt ad resignanda sua beneficia, quam ad alios actus legitimos, nisi fortassis lucida intervalla habeant, & tum temporis resignationem faciant, cum tali tem-

Compend. Pirking.

pore cesset causa, propter quam resignare non possunt. Possunt autem per se omnibus Clericis beneficia resignari, modo debitas qualitates, & conditiones habeant, cum regulariter, cui conferri potest beneficium, illi etiam resignari possit.

S E C T I O IV.

De causis, ob quas renuntiationes beneficiorum valide, & licite fieri possunt.

Certum est, quòd beneficiorum renuntiatio fieri non possit, sine iustâ & legitimâ causâ, ne nimia in resignandis beneficiis libertas in maximum detrimentum Ecclesiæ cedat: qualis autem causa sit iusta & legitima, in genere definiti non potest; quamvis certum sit, quod gravior causa requiratur in resignatione Episcoporum v. g. quam in resignatione aliorum minorum beneficiorum.

§. I.

Ex quibus causis possit Episcopus aut debeat, Episcopatus renuntiare.

Sex causæ de jure Canonico sunt expressæ, propter quas Episcopus confirmatus cedendi licentiam potest, vel etiam debet postulare, uti habetur in *6. nisi cum pridem 10. h. 1.* Prima scilicet est, conscientia criminis (quod impedit executionem officii sui, etiam post peractam pœnitentiam, qualia sunt illa crimina, quæ depositionis pœnam, aut perpetuam suspensionem, aut juris infamiam secum trahunt) Secunda est debilitas corporis (per quam impotens redditur

N

ad

ad exequendum officium suum pastorale, uti colligitur ex *c. 1. h. t.* Tertia est defectus scientiæ (præsertim ad spirituum administrationem necessariæ & sufficientis, nisi confirmatus talis sufficientem quidem scientiam non habeat, spes tamen sit, quòd intra breve tempus sufficienter de ea sibi sit provisorus) Quarta est malitia plebis (cui cum suo Episcopo pessimè convenit, ut nullus ex hoc Episcopo fructus apud cervicis durissimæ plebem spectari possit) Quinta est grave scandalum populi, quod ex præsentia huius Episcopi patitur (non quidem si scandalum tantum Pharisæicum sit, quod cavendum non esse, ipse Christus admonet, sed si scandalum sit, quod ex ignorantia, aut infirmitate populi provenit, & communiter scandalum pusillorum vocatur) Et sexta denique causa est irregularitas, cum talis Episcopus non possit exercere actus Episcopales, nec cum illo à Summo Pontifice dispensetur. Hæ tamen causæ omnes ad duas potissimum revocari possunt, ad utilitatem scilicet aut necessitatem Ecclesiæ; harum enim una si non interveniat, neque cum his causis facilè dispensatur.

§. II.

An ex aliis causis, præter sex allatas, possit Episcopus renuntiare Episcopatu?

Rest. probabile esse, quòd possit, dummodò causa sit utilis Ecclesiæ, & honesta, cum per enumeratas à jure Canonico causas, frequentius occurrentes, non excludantur aliæ honestæ causæ, utilitatem Ecclesiæ, maximè concernentes; & quòd in jure dicatur, petitio-

nem cessionis ex aliis causis factam, non esse discretam, prout habetur in *c. cit. nisi pridem §. verum h. t.* Intelligendum tantum videtur de aliis causis non justis, nec honestis, sed indiscretis &c. nisi malis dicere, omnes alias causas ad has 6. revocari posse, ita ut non audiendus sit Episcopus, si nullam ex allatis sex assignare possit: & hinc non videtur audiendus Episcopus, ad renuntiandum suo Episcopatu, cui utiliter adhuc præesse potest, si sub prætextu humilitatis, aut divinæ inspirationis, ut quietius Deo servire possit, ut contemplativæ vitæ magis deditus sit, ut in religione profiteatur &c. renuntiare velit, uti patet ex citato *c. nisi §. ex c. 2. de translat. Epis.* neque professio in religione sine licentia Summi Pontificis facta, aut votum, quod de ingredienda religione Episcopus fecit, valet, quia Deus talem promissionem contra prohibitionem ab Ecclesia factam non acceptat.

§. III.

Ex quibus causis fieri possit renuntiatio Ecclesiarum, dignitatum Ecclesiasticarum, & beneficiorum curatorum, vel etiam simplicium?

Quæ causæ à jure conceduntur, ut Episcopi suis Episcopatibus renuntiare possint, eæ etiam sufficientes sunt ad renuntiandum aliis dignitatibus, & beneficiis, tam curatis, quàm simplicibus, quæ enim sufficientes, ut arctius vinculum dissolvatur, sufficientes etiam, ut dissolvatur minus arctum vinculum: imò plures adhuc, & leviores causæ sunt, ob quas extra curiam, ordinarii locorum resignationes beneficiorum, purè factas, admit-

admittunt, ut prax' docet, & videri potest in *Bulla Pii 5. quanta Ecclesia*, quæ legi potest apud *Quarantam in summa Bullarii V. beneficiorum resignationes*, ex quibus causis admittere possunt Episcopi resignationes, ita tamen, ut resignans Clericus aliunde habeat, quo vitam honestè sustentare possit, & cum expressa prohibitione, ne taliter resignata beneficia, suis, aut resignantis consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, conferant Episcopi; quæ tamen cautio, ad multas quidem fraudes cavendas utilis, in nostris partibus vix obligare videtur.

SECTIO V.

*Coram quo superiore, & cuius Auctoritate renuntiatio beneficiorum facienda est, & admit-
tenda.*

§. I.

An Clericus beneficiatus possit, propria Auctoritate sine consensu superioris, beneficium resignare?

Quod non possint Clerici beneficiati, pro suo arbitrato, beneficia, quæ Canonicè obtinuerunt, & quorum collatio, confirmatio, aut institutio illis jam facta fuit, dimittere sine Episcopi consensu, cuius Auctoritas admittentis resignationem intervenire debet, clarè patet ex *c. admonet 4. h. t.* ubi sub pœna excommunicationis hoc prohibetur, ut ne scilicet fiat aliquid in præjudicium superioris; & quamvis aliqui probabiliter

putent, hoc intelligi non debere de beneficio litigioso, quod in favorem colligantis cedere quis potest, cum in tali renuntiatione nullum videatur fieri superiori præjudicium, contrarium tamen etiam probabile est, cum prohibitio loquatur universaliter, & Ecclesiæ interfit, etiam hanc renuntiationem scire, & hinc etiam Clericus criminofus, qui quidem ipso facto beneficio suo excidit, si tamen titulum coloratum & putativum, ac possessionem beneficii retineat, debet coram superiore legitimo renunciare, non quidem titulum, & jus verum in beneficio, quod nullum amplius habet, sed titulum putativum, & possessionem; qui modus, ut in superioris manibus dimittatur beneficium, in eo casu etiam locum habet, quo per pacificam adeptionem secundi beneficii cum priore incompatibilis, prius ipso jure vacat, juxta *c. de multa de prebend.*

§. II

An renuntiatio beneficii facta, sine superioris Auctoritate, sit valida?

Coram Laico, quamvis Patronus ille sit, aut regiâ dignitate præfulgeat, facta renuntiatio irrita est *c. quod in duobus 8. h. t.* cum Laicus non sit legitimus in causa spirituali beneficiorum superior; & licet resignatio talis coram Laico facta, nulla sit, resignans tamen taliter suo beneficio, spoliandus esse dicitur (si iterum de manu Laica illud recepit) in pœnam scilicet attentatæ hujus renuntiationis coram Laico faciendæ, si tamen sponte, & non coactè resignationem hanc fecit: quod si tamen resignatio beneficii

beneficij coram Clerico, sive in manibus Clerici fiat, qui tamen legitimus Superior non est, in ordine ad admittendam resignationem, neque hujus admittendæ potestatem habet, valida quidem est talis renuntiatio, in præjudicium resignantis, qui beneficium taliter resignatum, repetere non potest; quo ad Ecclesiam tamen, seu Superiorem legitimum invalida est, ita ut in Superioris arbitrio sit, utrum taliter renuntiantem cogere velit ad retinendum beneficium resignatum, aut ad dimittendum juxta *Gloss. in relat. c. quod in dubiis V. in manum laicam*. Probabile tamen etiam est, quod resignans, sive in Clerici non Superioris sui manibus, sive in manibus Laici beneficium suum resignaverit, poenitere adhuc possit, & retinere suum beneficium, si nondum à legitimo Superiore resignatio admissa fuit, cum eum tantum privandum suo beneficio dicant jura, qui postquam in manibus Laici suum beneficium resignavit, ab eodem iterum, & ex manibus Laici, hoc beneficium recipit.

§. III.

Quinam habent potestatem admittendi renuntiationes beneficiorum, vel non?

Fieri ergo debet renuntiatio in manibus Superioris Ecclesiastici, prout sumitur ex *relat. c. quod in dubiis*, & quidem illius Superioris, ad quem pertinet, non tantum jus sive potestas conferendi beneficia, sive instituendi beneficiatos, sed etiam eosdem destituendi, seu deponendi, cum renuntiationis admissio habeat vim destitutionis; &

hinc, cui ex speciali privilegio, vel consuetudine præscripta, competit jus & potestas conferendi beneficia, non ideo etiam potest renuntiationes talium beneficiorum admittere, cum aliud sit destituere beneficium, aliud sit instituere; & quamvis hodierna praxis habeat, saltem circa simplicia beneficia, etiam Canonicatus, ut iidem Capitulares resignationes talium beneficiorum recipiant, si ad eos independentem ab Episcopo de jure ordinario conferre ea pertineat (in quem sensum etiam intelligi debent illi Auctores, qui generatim dicunt, coram illis resignationes beneficiorum faciendas, quorum est ea conferre) de curatis tamen, quorum institutio & destitutio ad Episcopum pertinet, hoc intelligi non debet.

Et hinc sequitur, quod omnia beneficia, qualiacunque illa sint, in tota Ecclesia, in quibusvis etiam ordinariis mensibus, resignari possint in manibus Pontificis, cui plena potestas in beneficiis competit; & quæ ab eo ordinariis data est circa hæc potestas, cumulative illis cum Pontifice, non privative competat. Imò sunt aliqua beneficia, quæ ratione suarum prærogatarum, exemptionum, privilegiorum &c. non nisi in curia Romana resignari possunt, uti sunt Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus, item beneficia majora in Cathedralibus post Pontificatus, & Principales dignitates in Collegiatis, beneficia exempta, soli Summo Pontifici subiecta &c. Et quamvis etiam legati à latere eorum beneficiorum, quæ conferre possunt, resignationes recipere possunt, quia ob præ-

prærogativam honoris, majore etiam auctoritate pollent, nuntiis tamen Apostolicis, sive legatis missis, hæc resignationum recipiendarum potestas non competit, nisi speciali privilegio illis commissa sit. Possunt tamen etiam locorum ordinarii eorum beneficiorum in sua diœcesi existentium resignationes recipere, quæ sunt illorum jurisdictioni subiecta, nisi speciale quid sit, circa majora aliqua beneficia statutum: quam potestatem tamen, nec Archiepiscopus, extra casum visitationis, in toto suo Archiepiscopatu habet, cum extra casum visitationis, & appellationis nullam habeat in suorum suffraganeorum Diœcesibus; nec Vicarius Generalis, nisi specialiter hæc etiam potestas illi commissa sit; nec Capitulum Cathedrale, vivente Episcopo, respectu totius Diœcesis, sed tantum vacante sede, cum in hoc casu Episcopalis jurisdictio ad illud devolvatur.

§. IV.

*Quinam habent potestatem admit-
tendi renuntiationes beneficiorum
puras, seu simplices, aut
conditionales?*

Simplex seu pura beneficiorum renuntiatio etiam coram ordinariis locorum fieri potest, aut aliis, qui jus resignationes admittendi præscriperunt, nisi qualitas beneficii aliud jubeat; non autem, quæ in favorem certæ personæ fiunt, quæ tantum fieri possunt, in manibus Papæ, prout stylus & usus curiæ, ac recepta consuetudo docet, ad aver- tendum scilicet omne periculum, quod in tali conditionali resignatione facile in-

tervenire potest, & ut ne beneficium nondum vacans alteri conferatur, quod nemo facere potest, nisi solus Summus Pontifex; & quamvis resignans velle possit, ut certæ eidam personæ beneficium hoc à se resignatum conferatur, aut renuntiationi suæ certum modum addere possit, obligare tamen non potest eum, qui talem resignationem admittit, ut hoc facere teneatur, cum facta coram ordinario resignatio simplex & pura sit, nullam admittens clausulam conditionis aut modi obligantis ad conferendum tale beneficium certæ personæ. Putant quidem aliqui factam renuntiationem, cum tali clausula obligante, ab Episcopo admitti posse, ita tamen, ut clausula talis rejiciatur & pro non adjecta habeatur; rectius tamen putant alii, quod neque hoc fieri possit, cum actus sub conditione aliqua factus, non possit secundum partem aliquam admitti, & secundum aliam partem non admitti, quod fieret in tali casu, sed debet vel totus admitti, vel totus rejici, ut ne, si dividatur, immutatus videatur. *L. Aurelius §. idem quaritur FF. de libertate legatâ.*

Simili modo resignatio conditionalis beneficii, cum reservatione certæ pensionis, sive hæc in pecunia, sive fructibus danda sit, aut cum reservatione ingressus, accessus, aut regressus fieri non potest, coram ordinario, sed tantum coram summo Pontifice, qui solus ex plenissima sua circa beneficia potestate pensionem beneficio imponere, & regressum, accessum, aut ingressum concedere potest, cui plenitudini non præjudicat *Trident.* regressus tales, aut ac-

cessus, prohibens *sess. 25. c. 7. de reformat.*

SECTIO VI.

*De modo, quo fieri debet,
vel potest renuntiatio bene-
ficiorum.*

§. I.

*Quæ requirantur ad legitimam
renuntiationem beneficii faciendam?*

1. **R**equiritur, ut renuntiatio talis sit spontanea, & libera, non vi aut gravi metu extorta, aut dolo obtenta, quæ vel ipso jure irrita est (in casu scil. absolutæ violentiæ illatæ) vel per sententiam Judicis rescindenda est (in casu scil. quo gravi metu, aut dolo extorta est) prout sumitur ex *c. super hoc s. h. e. & ex c. accepta 3 de restitu. spoliat.*
2. Debet esse pura, nullâ scil. interveniente Simoniâ *c. cum pridem 4. & c. ult. de pact. c. ex parte 12. junctâ Gloss. V. omnino de offi. Jud. deleg.* ita ut ipso jure irrita sit, si Simonia intervenit, ut constat ex *extravag. 2. §. per electiones. de Simonia. inter communes*, etiam si juramento firmata sit.
3. Si beneficium patronatum resignetur, aut quod ad alterius collationem pertineat, requiritur hujus consensus, non quidem, quod ordinarium, qui putat ob utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ, renuntiationem hanc admittendam, urgere possit, ut non admittat, sed ut ab illis approbetur, quos talis renuntiatio tangit: & hinc putant aliqui sufficere, etiam si post admissam resignationem hæc illis significetur, ut notint alium sibi presentandum,

vel alii beneficium tale conferendum.
4. Ut fiat specificè, & expressis verbis, si sit expressa renuntiatio (cùm in dubio nemo præsumendus sit beneficia resignare, magnis expensis & laboribus fortassis quæ sita, & unde sustentari debet) & quidem juxta stylum, tam in quàm extra Romanam curiam fieri debet in scriptis (quamvis necessariò, & de jure communi hoc non requiratur) ad meliorem scil. renuntiationis probationem, supplicando illi, cujus est admittere resignationem, ut hanc admittere velit, ob causas in tali libello supplicii expressas.
5. Denique requiritur, ut præstetur consensus à resignante, vel personaliter per ipsum resignantem, vel per Procuratores eorum in Cancellaria vel Camera Apostolica, si renuntiatio eoràm Papa fiat, ut certior notitia habeatur de voluntate resignantis.

§. II.

*De renuntiationibus quibusdam
beneficiorum in specie, an sint Simo-
niacæ, nec ne?*

Certum est, quod Simoniam contra jus naturale, & divinum committat, qui beneficium suum resignat pro pecuniâ, aut aliâ temporali re, ex pacto vicissim accepta, prout sumitur ex *c. cum pridem 4. de pact.* cùm sit clara venditio rei spiritualis pro temporali: quod si verò res spiritualis pro resignatione beneficii ex pacto accipiatur, non quidem juris divini Simonia committitur, sed juris positivi Ecclesiastici, hujusmodi pactiones omnes, tanquam Simoniacas, prohibentis *c. ult. de pact.*: neque tamen Simoniaca resignatio est, in favorem al-

terius

terius coram Papâ resignare (cùm in tali casu nec det temporale pro spirituali, nec pactio aliqua illicita interveniat) neq; Simoniaca resignatio est, resignare beneficium, cum reservatione pensionis certâ; si coram eo fiat, qui potest beneficio imponere pensionem, cùm nec in isto casu, pactio interveniat, cogens illum, qui admittit renuntiationem, ut pensionem imponat, sed supplicet tantùm resignans pro pensione sibi reservandâ, quàm alter in gratiam resignantis liberè imponere potest, vel resignationem non admittere; vel si pactio aliqua interveniat inter eum, qui resignat, & inter eum, cui resignatur, illa tantùm sit sub conditione Papæ approbantis. Quod si tamen resignans in favorem tertii absolute cum eo paciscatur, ut expensas & sumptus in acquirendo beneficio, aut huius possessione &c. factos, sibi restituat, ex probabiliori sententia Simoniaca resignatio est, cùm omne pactum in rebus spiritualibus de onere temporali à jure Canonico reprobetur: quo modo etiam illicita & Simoniaca est illa transactio, quâ partes litigantes propria auctoritate inter se conveniunt, ut una pars lite, & jure beneficii cedat, altera verò temporale quid det, expensas v. g. factas restituat c. cum pridem 4. de par.

§. III.

An, & quo pacto contra repentem beneficium, spontanea renuntiationis exceptio opponi possit?

Repentem beneficium, sive jus proprietatis in beneficio, obstat spontaneæ renuntiationis exceptio, & admitti debet, etiamsi nulla causa factæ

renuntiationis fuerit expressa, modò probati possit à reo exceptio: & hinc quamvis actor suæ petitionis causam exprimere debeat, & proponere in judicio c. 2. de libel. oblat. reus tamen causam suæ exceptionis exprimere ordinariè non tenetur, cùm sint favorabiles partes rei, quàm actoris, & hic ad obligandum alterum agat, ille ad se liberandum. Si tamen beneficiatus actor ad recuperandam possessionem, quâ spoliatus fuit, agat, & probare velit spoliationem, non potest illi factæ renuntiationis exceptio objici, nisi prius restitutus sit, cùm spoliatus ante omnia sit restituendus.

§. IV.

De renuntiatione beneficiorum, qua fit per Procuratorem.

Potest quidem renuntiare aliquis beneficio suo, non tantùm per se ipsum, sed etiam per Procuratorem (quod enim quis potest per se ipsum, id ipsum potest etiam per alium, nisi jure prohibeatur) & quidem non tantùm per Procuratorem Clericum, sed etiam per Laicum (cùm etiam Laici possint tractare res spirituales, si nudum ministerium, sive mera executio illis committatur) sive unus, sive plures Procuratores ad resignandum constituti sint, & vel quilibet in solidum (quo in casu datur locus præventioni in resignando) sive, ut omnes jure renuntient &c. Plura tamen adhuc alia requiruntur, ut legitima sit constitutio Procuratoris ad resignandum deputati: & 1. quidem non sufficit mandatum generale, quamvis cum libera & amplissima potestate datum sit, sed debet intervenire ad multas fraudes

fraudes cavendas, mandatum speciale, ad renuntiandum, in quo exprimat nomen beneficii, & locus, ubi situm est beneficium, nomen proprium, & cognomen Procuratoris, & quod ei data sit potestas resignandi beneficium nominatum, loco, & vice principalis constituentis. 2. Requiritur, ut mandatum procuratorium sit in scripturam sive instrumentum publicum redactum, & obfirmatum Sigillo publico Judicis ordinarij, vel communitatis, & postea recognitum, ac ab ipso Tabellione seu Notario subscriptum. 3. Requiritur, ut instrumentum tale non sit cancellatum, seu rasum, & deletum, saltem in loco principali. 4. Denique requiritur, ut constitutio Procuratoris facta fuerit sponte, & libere, prout habetur in *Clement. unica h. t.* extra curiam tamen renuntiatio etiam fieri potest, per mandatum in litteris privatis datum, ita tamen, ut fiat coram legitimo Superiore, & forma mandati observetur; nisi hæc in melius Principalis resignantis emolumentum mutetur, ubi non tam forma mandati, quam utilitas Principalis resignantis observatur.

Patet autem etiam ex relata *Clement. unica h. t.* quod revocari possit à Principali, qui Procuratorem constituit, constitutus hic Procurator, ante factam resignationem (cum in omni casu, re adhuc integrâ, mandatum revocari possit *§. rectè Instit. de mandat.*) ita tamen, ut hæc revocatio suam utilitatem non habeat, nisi postquam ad Procuratoris notitiam, per intimationem ipsi factam, vel ad Superioris, coram quo renuntiatio faciendâ esset, pervenerit, aut malitio-

sè, quo minus ad illius notitiam pervenerit, impedita fuerit (tum, ut ne malitiæ aliquid tribuatur; tum, ut multæ deceptiones impediatur) ita ut, quamvis per litteras privatas, ne ulterius in negotio procedat, non revocetur Procurator hic constitutus ad resignandum, suspendatur tamen ulterior processus, quamvis supplicatio pro resignatione admittenda porrecta, jam signata fuisset, & à Datario recognita. Exspirat tamen etiam morte Mandantis, Procuratorium hoc ad resignandum datum mandatum, quamvis mors mandantis Procuratori nondum innotuerit, *juxta Gloss. communiter receptam, in relat. Clement. unic. V. quomodo libet* (cum omnes obligationes, & vincula per mortem dissolvantur) nisi ante mortem resignantis supplicatio à Procuratore ad resignandum porrecta, signata jam à Pontifice, & à Datario recognita fuisset, quo in casu etiam post mortem mandantis suum consensum in renuntiationem dare potest Procurator, uti ex *consuet. Alexandri 6. & Leonis 9.* colligitur. Quamvis enim Procurator nova incipere non possit post mortem Principalis, potest tamen cepta ante mortem illius postea perficere.

§. V.

De publicandis resignationibus beneficiorum.

Ad cavendas multas fraudes, & multa incommoda evitanda, volunt jurâ, præsertim *Gregorii 13. constitutio, Humano vix judicio*: ut omnium beneficiorum resignationes publicentur, sive sint simplicia, sive curata, etiam juris Patronatus, & electiva, secularia, & regula-

ria, perpetua, & temporalia, sive manualia (Exceptis beneficiis Consistorialibus, quæ in Romana Curia in Consistorio conferuntur, uti sunt Archiepiscopatus, & Episcopatus &c. ubi cessat fraudis periculum) sive extra curiam sive in curia resignata sint, sive ex causis permutationis, sive cum reservatione pensionis &c. cum nimis universaliter loquatur constitutio. Debent autem publicari à quibusvis resignatariis, etiam exemptis, etiam officialibus Curie Romanæ, imò ab ipsis etiam Cardinalibus, si in eorum favorem beneficia aliqua resignentur, & quidem intra sex menses, si in Curia Romana resignatum sit beneficium, & hoc situm sit citra montes; si verò ultra montes situm sit, intra 9. menses à die supplicationis datæ, & resignatæ. Si verò extra Curiam coram Ordinariis locorum resignatio facta sit, intra tres menses à die, quo collatum beneficium resignatum fuit, computandos, quod intra mensem à tempore factæ resignationis, sub pœnâ privationis juris conferendi, à collatore incurrendâ, nisi intra mensem resignatum beneficium resignatario contulerit, & sub pœnâ nulliter factæ resignationis, si forma Gregorianæ constitutionis in factis his resignationibus servata non fuit. Vix videtur tamen Bulla hæc Gregoriana circa talia coram ordinariis locorum resignata beneficia in nostris partibus esse usu recepta, juxta quam deberet hæc publicatio extra Curiam fieri in Ecclesia Cathedrali, & Parochiali, ubi, vel intra cujus limites beneficium resignatum existit, quod non observatur.

Compend. Pirhing.

SECTIO VII.

De effectibus renuntiationis.

§. I.

Qui sint effectus renuntiationis pura, ac simplicis?

Primus & præcipuus hujus renuntiationis effectus est, quod beneficium taliter legitime resignatum vacet, & resignans taliter amittat omne jus in beneficio, etiam ad fructus, ac omnem possessionem, postquam talis renuntiatio à legitimo superiore admissa fuit (prout habetur in c. 3. § 5. h. r. & c. 2. eod. in 6. ac natura renuntiationis puræ & simplicis requirit) sive per se, sive per legitimum Procuratorem taliter resignaverit; quòd si verò jus in re nondum habuerit resignans, sed tantum jus ad rem, hoc etiam per resignationem taliter factam amittit, prout sumitur ex c. in presentia 6. h. r. Imò si tantum licentiam à superiore instanter petivit, cedendi suo beneficio, postmodum verò, hæc licentiâ impetratâ, resignare non vellet, cogi potest ad resignandum, si in petenda licentia præterdit, talem renuntiationem pro animæ suæ bono, pro Ecclesiæ commodo futuram, uti asseritur in c. quidam 12. h. r. ne videatur superiori tantum illudere voluisse, qui talem licentiam taliter petivit.

§. II.

An renuntians redire possit ad beneficium resignatum, & an descendere à digniore beneficio ad minus dignum?

o

Quòd

Quid possit, qui sub juramento etiam renuntiavit suo beneficio, non obtinente hac resignatione jurata, ad idem beneficium ex novo titulo redire, si iterum illi v. g. conferatur, sive ad illud iterum præsentetur &c. certum est ex *c. cum inter 2. h. t.* cum renuntiatio talis, & annexum juramentum strictæ sint interpretationis, & futura non præsumantur comprehendere, ac in omni juramento salvum debeat esse jus superioris, *c. venientes 19. de jure jur.* Nisi ob crimen renuntiaverit Episcopatus, & religiosus factus sit, penitentia agenda causa, hic enim, etsi de novo in Episcopum eligatur, ad eundem redire tamen non potest, uti habetur in *c. post translationem 11. h. t.* imò potest, si majori dignitati v. g. renuntiavit, minus dignum, & inferius beneficium admittere, *c. ad supplicationem 9. h. t.* cum melius illi sit, habere beneficium minus, ex quo sustentetur, quam carere majore dignitate cum defectu sustentationis.

§. III.

De effectu renuntiationis conditionalis, & resignatione beneficii in fraudem alterius facta.

Ad primum resp. conditionalis renuntiationis plenus effectus, ita ut vacet beneficium taliter resignatum, non haberi, antequam conditio, sub qua fit renuntiatio, purificata est, & adimpleta, prout actuum conditionatorum ratio requirit, & hinc nulla est renuntiatio in favorem alterius certæ personæ facta, & admissa, si postmodum non eidem, in cujus favorem resignatum est, sed alteri cuidam tertio conferatur beneficium.

Ad secundum resp. nullam esse resignationem beneficii, quæ fit in fraudem alterius, uti colligitur ex *c. si tu 2. h. t. in 6.* non enim debet quis alterius odio prægravari, regula 20. in 6. neque fraudatori sua malitia debet esse lucrosa *l. 1. ff. de dolo.*

T I T V L V S X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

§. I.

Quomodo defectus seu negligentia Prælatorum inferiorum in conferendis beneficiis commissa, per devolutionem, potestatis ad superiores suppleatur.

Si ordinarius collator, ad quem spectat beneficiorum provisio intra tempus à jure definitum beneficium vacans non contulerit, is jure conferendi pro

ea vice privatur, & regulariter illud ad immediatum superiorem devolvitur, & ab hoc negligente gradatim ad alium superiorem *c. 2. de concess. præbend. & c. licet 3. h. t.* ita statuente jure, ne beneficia diu vacent, & ne diu jura eorum sint in incerto, quod utrumque Ecclesiæ damnosum est; neque conceditur post elapsura tempus, quod ad eligendum, vel conferendum concessum est, purgandi